



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Avgvstini Valerii, Veronensis Episcopi, De Rhetorica  
Ecclesiastica Libri III. Perqvam Ervditi**

**Valiero, Agostino**

**Coloniae, 1582**

Quid sit exordium, & quibus de causis sit institutum; item qualia debent  
esse exordia. Cap. XLVI.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69050](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69050)



partium orationis, in proœmium, narrationem, probationem, confirmationem, confutationem, amplificationem, epilogum, non est admittenda. cùm narratio non semper sit necessaria, nisi in genere demonstratiuo: confirmatio, & confutatio probationi subiecta sit, ac in ea contineatur; & cùm is, qui comparatione vitur, aut amplificat, quodãmodò videatur probare: prætereà exordiũ & peroratio non sunt semper concionis partes necessaria, cùm admonitionis, & intelligentiæ causa adhibeantur, quod non semper necessariò faciendũ est, præsertim in re nota & facili. Duæ igitur constituendæ sunt ad minimum, orationis Ecclesiasticæ partes, ppositio, siue (vt alio verbo, idem exprimẽte, vt ar) propositũ, & probatio, hoc est, argumentum, siue cõprobatio. Quoniã tamen interdũ exorditur Ecclesiasticus orator, dicamus cuiusmodi vii possit exordis; itã tamen; vt statuamus, sæpẽ nõ esse necessariũ exordiri, cùm res, qua de agimus, sit nota, et aduersarius nullus sit; multo magis, quia ad audiẽdum paratos se esse auditores ostendũt. Nec semper epilogo est opus, cũ probatiõibus interdũ auditores satis sint ad id, quod est propositum, incensi atq; inflammati, & nulla sit necessaria repetitio: cùm credibile sit, in auditorum animis illas sententias esse impressas. De his tamen quatuor partibus agendũ iudicamus; ac primũ de exordio.

Quid sit exordium, & quibus de causis sit institutum; item qualia debent esse exordia.

Cap. XLVI.

**E**XORDIUM siue proœmium in soluta oratione, idem est, quod in poësi præfatio. cùm autẽ interdũ  
apud



apud seculi oratores, vt apud Isocratem in laudibus Helena, proœmium non cohercat illis, quæ tractanda sunt; id Christiano maximè cauendum est, cui de ostentatione ingenij & doctrina corā Deo ratio erit reddenda. Exordia esse instituta, vt auditores dociles, attenti, et beneuoli reddatur, omnes scripserunt. consequetur Ecclesiasticus orator, vt dociles auditores fiant, si ordine se dicturum, & argutas quæstiones omissurum, interdum pollicebitur. Attentos facillè efficiet, si dixerit, se de salute animarum, sermonem habiturū; & non quod homines, quorum proprium est labi & decipi, docuerint, sed, quod ipse Deus, aut Dei serui, diuino spiritu afflati, literis consignarunt, explicaturum. Beneuolos reddet, si neque inanis gloriæ cupiditate, nec auaritiæ, sed zelo Dei, & studio salutis auditorum munus dicendi eum sumpsisse, auditores intelligent. Verecunda debent esse proœmia, grauias & breuias; interdum ex abrupto exordium est. Sumuntur, vt in vniuersum dicam, exordiorum argumēta à re ipsa, à tempore, à loco, ab opinione populi, ab inopinato, à similitudine, à sententia scripturæ, seu ab historia, à typo, siue à figura veteris testamenti, ab eius persona, qui dicit, item ab auditorum, quorum omniū exempla, è patrum & doctorum Ecclesiæ scriptis sumi possunt: nos præcipuas quasdam exordiorum formas proponemus.

## De Verecundo Exordio.

## Cap. XLVII.

**V**ERECVNDVM Exordium, quod maximè clericos decet, & modestia Christiana, conditum est apud S. Gregorium Nazianze. in quadam oratione:

O s

fratres,